

## Apoll und Clytie

### Ov. met. 4,190-270

<i>Exigit indicii memorem Cythereia poenam inque vices illum, tectos qui laesit amores, laedit amore pari. quid nunc, Hyperione nate, forma colorque tibi radiataque lumina prosunt? nempe, tuis omnes qui terras ignibus uris, ureris igne novo, quique omnia cernere debes, Leucothoen spectas et virgine figis in una, quos mundo debes, oculos. modo surgis Eoo temperius caelo, modo serius incidis undis spectandique mora brumales porrigis horas; deficis interdum, vitiumque in lumina mentis transit, et obscurus mortalia pectora terres. nec, tibi quod lunae terris propioris imago obstiterit, palles: facit hunc amor iste colorem. diligis hanc unam, nec te Clymeneque Rhodosque nec tenet Aeaeae genetrix pulcherrima Circes, quaeque tuos Clytie quamvis despecta petebat concubitus ipsoque illo grave vulnus habebat tempore: Leucothoe multarum oblivia fecit, gentis odoriferae quam formosissima partu edidit Eurynome; sed postquam filia crevit, quam mater cunctas, tam matrem filia vicit. rexit Achaemenias urbes pater Orchamus isque septimus a prisco numeratur origine Belo. axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum: ambrosiam pro gramine habent; ea fessa diurnis membra ministeriis nutrit reparatque labori. dumque ibi quadripedes caelestia pabula carpunt noxque vicem peragit, thalamos deus intrat amatos versus in Eurynomes faciem genetricis et inter bis sex Leucothoen famulas ad lumina cernit levia versato ducentem stamina fuso. ergo ubi ceu mater carae dedit oscula natae, 'res' ait 'arcana est: famulae, discedite, neve eripite arbitrium matri secreta loquendi.' paruerant, thalamoque deus sine teste relicto 'ille ego sum' dixit 'qui longum metior annum omnia qui video, per quem videt omnia tellus, mundi oculus: mihi, crede, places.' pavet illa metuque et colus et fusi digitis cecidere remissis.</i>	190     195     200     205     210     215     220     225
--	--

<i>ipse timor decuit, nec longius ille moratus in veram rediit speciem solitumque nitorem; at virgo, quam is inopino territa visu victa nitore dei posita vim passa querella est.</i>	230
<i>Invidit Clytie (neque enim moderatus in illa Solis amor fuerat) stimulataque paelicis ira vulgat adulterium diffamatumque parenti indicat; ille ferox inmansuetusque precantem tendentemque manus ad lumina Solis et 'ille vim tulit invitae' dicentem defodit alta crudus humo, tumulumque super gravis addit harenae.</i>	235 240
<i>dissipat hunc radiis Hyperione natus iterque dat tibi, qua possis defossos promere vultus; nec tu iam poteris enectum pondere terrae tollere, nymphea, caput, corpusque exsanguie iacabas: nil illo fertur volucrum moderator equorum post Phaethonteos vidisse dolentius ignes. ille quidem gelidos radiatorum viribus artus si queat in vivum temptat revocare calorem, sed quoniam tantis fatum conatibus obstat, nectare odorato sparsit corpusque locumque</i>	245 250
<i>multaque praequestus 'tanges tamen aethera' dixit. protinus inbutum caelesti nectare corpus delicuit terramque suo madefecit odore, virgaque per glaebas sensim radicibus actis turea surrexit tumulumque cacumine rupit.</i>	255
<i>At Clytiam, quamvis amor excusare dolorem indiciumque dolor poterat, non amplius auctor lucis adit Venerisque modum sibi fecit in illa. tabuit ex illo dementer amoribus usa nympharum inpatiens et sub Iove nocte dieque sedit humo nuda nudis incompta capillis, perque novem luces expers undaeque cibique rore mero lacrimisque suis ieiunia pavit nec se movit humo: tantum spectabat euntis ora dei vultusque suos flectebat ad illum.</i>	260 265
<i>membra ferunt haesisse solo, partemque coloris luridus exsanguis pallor convertit in herbas; est in parte rubor violaeque simillimus ora flos tegit. illa suum, quamvis radice tenetur, vertitur ad Solem mutataque servat amorem.</i>	270